

**Palinuro:**

*Genesi di un personaggio poetico*

di

**Aldo Setaioli**

*Verg. Aen. 5,833-871*

835 Princeps ante omnis densum Palinurus agebat  
agmen; ad hunc alii cursum contendere iussi.  
Iamque fere median caeli Nox umida metam  
contigerat, placida laxabant membra quiete  
sub remis fusi per dura sedilia nautae,  
cum levis aetheriis delapsus Somnus ab astris  
840 aëra dimovit tenenebrosum et dispulit umbras,  
te, Palinure, petens, tibi somnia tristia portans  
insonti; puppique deus consedit in alta  
Phorbanti similis funditque has ore loquelas:  
'Iaside Palinure, ferunt ipsa aequora classem,  
aequatae spirant aerae, datur hora quieti.  
845 Pone caput fessosque oculos furare labori.  
Ipse ego paulisper pro te tua munera inibo'.  
Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:  
'Mene salis placidi vultum fluctusque quietos  
ignorare iubes? Mene huic confidere mostro?  
850 Aenean credam (quid enim?) fallacibus auris  
et caelo, totiens deceptus fraude sereni?'  
Talia dicta dabat, clavumque adfixus et haerens  
Nusquam amittebat oculosque sub astra tenebat.  
855 Ecce duos ramum Lethaeo rore madentem  
vique soporatum Stygia super utraque quassat  
tempora, cunctantique natantia lumina solvit.  
Vix primos inopina quies laxaverat artus,  
et super incumbens cum puppis parte repulsa  
860 cumque gubernaculo liquidas proiecit in undas  
praecipitem ac socios nequiquam saepe vocantem;  
ipse volans tenuis se sustulit ales ad auras.  
Currit iter tutum non setius aequore classis  
promissisque patris Neptuni interrita fertur.  
Iamque adeo scopulos Sirenum advecta subitat,  
865 difficilis quondam multorumque ossibus albos  
(tum rauca adsiduo longe saepe saxa sonabant),  
cum pater abisso fluitantem errare magistero  
sensit, et ipse ratem nocturnis rexit in undis  
870 multa gemens casuque animum concussus amici:  
'o nimium caelo et pelago confise sereno,  
nudus in ignota, Palinure, iacebis harena'.

Ecce gubernator sese Palinurus agebat,  
qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,  
exciderat puppi mediis effuses in undis  
340 Hunc ubi vix multa maestum cognovit in umbra,  
sic prior adloquitur: 'Quis te, Palinure, deorum  
eripuit nobis mediumque sub aequore mersit?  
Dic age. Namque mihi, fallax haud ante repertus,  
hoc uno response animum delusit Apollo,  
345 qui forte te ponto incolumem finisque canebat  
Venturum ausonios. En haec promissa fides est?  
Ille autem: 'Neque te Phoebi cortina fefellit,  
dux Anchisiade, nec me deus aequore mersit.  
Namque gubernaculum multa vi forte revulsum,  
350 cui datus haerebam custos cursusque regebam  
praecipitans traxi mecum. Maria aspera iuro  
non ullum pro me tantum cepisse timorem,  
quam tua ne spoliata armis, excussa magistero,  
deficeret tantis navis surgentibus undis.  
355 Tris Notus hibernas immense per aequora noctes  
vexit me violentus aqua; vix lumine quarto  
prospexi Italiam summa sublimis ab unda.  
Paulatim adnabam terrae; iam tuta tenebam,  
ni gens crudelis madida cum veste gravatum  
360 prensantemque uncis manibus capita aspera montis  
ferro invasisset praedamque ignara putasset.  
Nunc me fluctus habet versantque in litore venti.  
Quod te per caeli iucundum lumen et auras,  
per genitorem oro, per spes surgentis Iuli,  
365 eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram  
inice, namque potes, portusque require Velinos;  
aut tu, si qua via est, si quam tibi diva creatrix  
ostendit (neque enim, credo, sine numine divum  
fulmina tanta paras Stygiamque innare paludem),  
370 da dextram misero et tecum me tolle per undas,  
sedibus ut saltem placidis in morte quiescam'.  
Taglia fatus erat coepit cum talia vates:  
'Unde haec, o Palinure, tibi tam dira cupido?  
Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum  
375 Eumenidum aspicias, ripamve iniussus adibis?  
Denise fata deum flecti sperare precando,  
sed cape dicta memor, duri solacia casus.  
Nam tua finitimi, longe lateque per urbes  
prodigiis acti caelestibus, ossa piabunt  
380 et statuent tumulum et tumulo sollemnia mittent,  
aeternumque locus Palinuri nomen habebit'.  
His dictis curae emotae pulsusque parumper  
corde dolor tristi; gaudet cognomine terra.